

longitudinibus ueniunt 47. gr. 45. m̄. tanto arcui subtenditur epicyclus in hoc situ, dum scilicet à longitudine 4. signis distat. Idem per alias & ad situm epicycli alium elicies. In anno enim 18. Adriani, Sole secundum medium cursum existente, in 10. gr. Geminorum inuenta fuit longitudo matutina 21. gr. 15. m̄. In anno uero Antonij primo, Sole iterum per cursum medium in 10. gr. Geminorū existente longitudo uespertina reperta fuit, 26. gr. 30. m̄. quibus quoq; longitudinibus collectis 47. gr. 45. m̄. proueniunt, & tanto arcui subtenditur epicyclus in hoc situ. Verum longitudo uespertina à loco Solis medio in longitudine propiori reperta fuit 23. gr. 15. m̄. cui æqualem longitudinem matutinam in eodem loco fieri manifestum est. Duplatis igitur 23. gr. 15. m̄. ueniunt 46. gr. 30. m̄. quibus subtenditur epicyclus in longitudine propiori existens. Constat igitur uiciniorum centro mundi esse epicyclum à longitudine longiori per quatuor signa distantem, quàm in longitudine propiori constitutum. Propter hanc em̄ causam arcum maiorem de cœlo occupat, quare in figura superiori punctū z. non esse ecentrici, sed erat punctus æqualiter à centro epicycli in longitudine propiori & eius opposito constituto elongatus. Centrum autem epicycli à centro ecentrici ipsum deferente, inuariabilem habet distātiā, à puncto uero z. uariabilem. Oportet ut centrum ecentrici deferentis epicyclū mobile sit, & in tempore quo epicyclus motus est à lōgitudine longiori ad eius oppositum, centrum ecentrici descripsit arcum semicirculi parui contra successionem signorum, cuius centrum fuit punctus z. Sic autem accidere potuit maior epicycli ad terram uicinitas in distantia 4. signorum à longitudine longiori, quàm in longitudine propiori.

## PROPOSITIO XVII.

Punctum cuius respectu Mercurius regularem longitudinis habet motum determinare.

¶ Duabus ad hoc perueniemus considerationibus longitudinum maiorum, quarum utraq; sit in eodem loco à longitudine longiori. Et ut facilius fiat opus, sit in utraq; longitudinum distantia epicycli secundum medium cursum à longitudine longiori per tria signa cōmunia uersus eandē partem. Primam accipiamus quæ fuit in anno 14. Adriani 18. die mensis Mesre, duodecimi ægyptiorum completo, hora uespertina, Taione considerante Mercurium distantiorum à principio Leonis in 3. gr. 50. minut. quemadmodum refert Ptolemæus, q̄ ipsum cor Leonis, fuit itaq; Mercurius secundum numerationem Ptolemæi in sexto gradu 20. m̄. Leonis. Sole secundum cursum medium in 10. gr. 5. m̄. Cancri existente. Quare longitudo uespertina relinquebatur 26. partes, 15. m̄. Alia fuit consideratio Ptolemæi in anno 20. Antonij, 21. die mensis Mesre duodecimi ægyptiorum in matutino, in quo uidebatur Mercurius armillis rectificatis per Aldebaran in 20. partibus, 5. m̄. Geminorū, Sole per medium cursum in 10. gradu 20. m̄. Cancri constituto. Fuit igitur longitudo 20. gr. 15. m̄. Sic aggregatum ex ambabus longitudinibus maioribus erat 46. gradus 30. m̄. ¶ Nunc propositi habendi gratia, sit linea transiens per longitudinem longiorem & propiorem a, g. in qua punctus b. centrum mundi, & punctus z. centrum parui circuli. Huius quidem lineæ pars b, a. transeat per 10. gr. Libræ, q̄ ibi sit longitudo longior, b. uero per 10. gr. Arietis. Deinde

